



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXVI. Quomodo post longa tædia Verbum prædicationis à duobus pueris
cœptum & promotum sit interim, dum legati mittuntur ad Ducem Poloniæ
propter contradictionem ciuitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*Plebs russica
auide audit
cancionantes.*

*Sefridus Cru-
cem Episcopo
præmis.*

tunè alloquendo, iugulum neci quodammodò quotidie optauimus : Sed, Deo protegente nos, læsi non sumus. Plebs autem, quæ de rure fuit, & simplicitate sua, & rerum nouitate capta negotiis suis postpositis, prædicationem libentissimè accepit, quamuis credere non auderet. Et quia certis diebus crux portabatur, & sermones fiebāt, magis propter verbum, quàm propter forum ruricolæ consuebant. Ego in illis diebus crucem cum Simone in angaria portauī. Nam vellem nollem, per medios barbaros, per forū & turbam incredulorum, opprobrium crucis animo & corpore tener agnotheta coram Episcopo portare videbar. Deus autem pius & misericors sciens timiditatem meam, & pauorem meum, lædi me non sinebat.

Quomodo post longa tadia, Verbum prædicationis à duobus pueris cæptum & promotū sit interim, dum legati mittuntur ad Ducem Polonia propter contradictionem ciuitatis.

CAPVT XXVI.

Sefridus.

*Inisium con-
uerstonis fit à
duobus adole-
scentulis.*



Quotidie, dum hæc geruntur, fidei retia laxantibus, & nihil nobis capientibus, & multum super hoc tædentibus; tandem benignus Dominus, sedulitatem boni serui sui Othonis, laborem quoque & mœstitiā miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adolescentes, filij cuiusdam nobilis de ciuitate, domum nostram frequentare, ac familiares se præbere, paulatimque de Deo nostro, & de fide quærere cœperunt. Episcopus autem sentiens, quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando præsagium, blandis mulcet alloquiis, atque de munditia & honestate Christianismi, de immortalitate animarum, de resurrectione corporum, de spe & gloria æternæ vitæ adolescentibus per singulos dies euangelizauit. Quæ omnia

omnia, flante Spiritu sancto, pueri altius suis imbibere pectoribus: neque diu cunctati, credere se velle, atque baptismum percipere dixerunt.

Episcopus ergo latissimus, pueros statim catechizat, ac de omnibus, quæ Christianæ religioni competebant, diligenter instructos, iussit, ut loti, & lotis induti cum cereis suis, & albis sese præberent baptizandos. Illi, ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis, loti & purificati, nouisque ac mundis vestibus induti cum albis & cereis percepturi sanctum baptismum se manibus Episcopi obtulerunt. Videns humano in corpore vultus Angelicos, videns expulsâ dæmoniâ squaloris inertiam, in vultibus iuuenum Christum nouum hominem gratiose iam coruscare aspectu, Pontifex ipse, omnesque alij Sacerdotes & Clerici gauisi sunt & admirati super gratiam, quam videre in pueris. Sed quid morer? Baptizati sunt, & propter octauam Purificationis octo dies apud nos commorantes, in domos parentum non sunt reuersi.

S. Osbo pueros catechizat.

Baptizantur.

De matre ipsorum puerorum.

CAPVT XXVII.

Mater verò illorum puerorum (nam pater domo ab-
erat) ubi, quæ gesta sunt, audiuit; pueris nondum
exalbat, ultra quam dici queat, gaudio perfusa,
cuidam de pueris suis: Vade, inquit, nuntia Do-
mino meo Episcopo, quia ipsum & filios meos videre venio.
Erat enim matrona magnæ honestatis & potentiam in ciuitate
illa. Episcopus ergo audiens illam aduenire, de sub tecto
exiens in graminis cespite sub diuo consedit, suosque rege-
neratos adhuc in albis positos, circumfidentibus Clericis,
ad pedes suos collocavit. Sed ubi matrem eminens aduenientem
conspiciunt, modestè confurgentes, & Episcopo prius
inclinantes, quod advertere pulchrum fuit, quasi petitâ li-
centiam.

Sofridus.

Mater puerorum gaudio exultat ob baptizatos filios.

Mater confert se ad Episcopum.